

Initium est: *Pastoralis curae me pondera fugere delitescendo voluisse &c.* ut in edit. *Maur. Paris.* 1705. T. II. col. 1. f. ad cuius Editionis perfectionem Codex non adspirat.

In fol. praevio legitur: *Hic liber pignoris loco a quodam baccalauriando pro floreno depositus est. Quis sit, quando etiam actum, annales docebunt.* Praeterea Membranae duae Contractus quosdam Sec. XIV. inter Privatos initos lingua germanica, sed valde truncatos exhibentes Codicem conve-

CCCLXXXIX.

R. 2048

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 125. 4. min. luculente perscriptus, et rubricis enotatus continet *Librum Regule pastoralis cure Sancti Gregorii pape scriptum ad iohannem Episcopum.* Ita post Elenchum Capitem: Initium: *Pastoralis cure me pondera fugere &c.* Saepius utroque *Vol.* a me relatum Opus hic integrum, et probae lectionis est. Ad calcem legas: *Iste liber est Domus Porte beate Marie virginis. in Axpach ordinis Carthusien. patauien. Dyocefs. fundacionis Domini Haydenrici de Meyssau nobilis Baronis. Et hunc librum habemus a Domino Petro sacerdote qui fuit Donatus noster. Erant Donati, qui se et sua Ordini tradiderant, et continuo cum Religiosis residebant.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

CCCXC.

Codex membraneus lat. Sec. R.64 XIII. Folior. 170. 4. non una manu exaratus, rubricis distinctus, et Bibliothecae Palat. a. 1721. oblatum a *Thoma M. Alfano O. P.* de quo ad plures Codices mentio, sequentia complectitur: I. praevio *Capitum LXIV. Syllabo Librum seu Regulam Pastoralem S. Gregorii M. Pont.* quae infit: *Pastoralis cure me pondera fugere &c.* et definit: *tui meriti manus (me) leuet.* Lectio multum est infra textum edit. *Maur. Opp. T. II. Paris. 1705. col. 1. f.*

II. fol. 67. sequuntur minutiora quaedam hoc ordine: 1) *Epistola hieronimi presbiteri ad damasum papam.* Spuria nempe illa: *Legi literas apostolatus tui &c.* T. XI. *Opp. edit. Vallars. col. 277.* et ne quidem integra. 2) *Sermo S. Iohannis Os Auri.* Initium: *Et intravit Ihesus in templum Dei. Hoc erat proprium boni filii &c.* Lacinia *Homiliae XXXVIII. in Matth. c. 21. Iob. Chrysofomi.* 3) *Origenis.* Initium: *Sunt et alii in templo vendentes christi columbas &c.* Lacinia *Tractatus XV. in Matth. 4) Sermo Sancti Iohannis Os Auri.* Initium: *Ideo fratres et dominus ipse criminum distraxit fastigia &c.* Fragmentum interpolatum ex *Homilia de Muliere Chananaea.* 5) *Sermo Sancti Iohannis Os Auri.* Initium: *Postquam Dominus impios Sacerdotes super se irruentes &c.* Lacinia *Homiliae XLIII. in Matth. c. 23.* 6) *Oratio Sec. XV. inferta ad B. V. Mariam, quam*

Iii

per